

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS

Romanae Rotae Tribunal

SENTENTIA DEFINITIVA

Nullitas matrimonii ob incapacitatem assumendi onera

(*Omissis*)

1. Species facti

1. Anno 1972, in X, ubi feriarum tempus transigebant, mutua sympathia sunt adlecti actrix Maria, sedecim annorum, et conventus Mario, undevicesimum suae aetatis annum agens, duo patruelles. Biennio elapso, amicalis relatio est instaurata. Iuvenes die N. martii 1975 fidem sponsaliciam sibi dederunt et, dispensatione ab impedimento consanguineitatis obtenta, die N. mensis octobris insequentis in X. matrimonium celebraverunt canonicum, et quidem in ecclesia Sancti Antonii dicata.

Vita coniugal, tribus abortionibus haud obstantibus, trina prole est recreata et initio felix evasit, dein maxime est turbata, quia, ut dicitur, magis magisque ludis aleatoriis indulgit vir. Is operis reperiendi causa mense aprili 1983 in Z. se contulit. At, elapsis paucis hebdomadis, suum domicilium ad omne tempus deseruit nec postea ullam de se notitiam dedit.

2. Mulier autem, oblato libello diei 15 septembris 1989 coram Tribunali Regionali X, nullitatis suum ac-

cusavit matrimonium ob defectum discretionis iudicii ex parte viri et incapacitatem eiusdem viri assumendi obligationes matrimonii essentielles. Sane, post instructionem processus per examen actricis et quattuor testium ab eadem inductorum, aditum Tribunal definitiva sententia, die 15 octobris 1993 lata, edixit non constare de matrimonii nullitate ullo ex adducto capite.

Quam contra decisionem mulier provocavit ad Tribunal superius, quod post novam actricis excussionem die 19 septembris 1994 impugnata sententiam infirmavit.

Causa ex appellatione Defensoris vinculi ad Nostrum Forum delata, actrix patronum ex officio obtinuit; quo instante, die 4 aprilis 1996 dubia concordata sunt sub sequenti formula: An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum discretionis iudicii ex parte viri vel propter incapacitatem viri assumendi obligationes matrimonii essentielles ob causas naturae psychicae.

Hodie igitur tandem, scripturis defensionalibus, die 23 maii 1996 a Patrono partis actricis et die 8 iulii 1996 a Defensore vinculi deputato exhibitis, Nobis causa definienda proponitur per responsionem ad dubia modo relata.

2. In iure

3. Matrimonium, de quo, sub regimine Codicis abrogati est contractum. Itaque vetus ius applicetur oportet. Animadvertendum tamen est ius, quod in nn. 2 et 3 can. 1095 novi Codicis comprehenditur, re et substantia haud differre a vetere iure.

Principia iuridica a prioribus Iudiciis sunt exposita. Ad defectum discretionis iudicii quod attinet, commemoremus hic ea, quae in prima sententia scripta le-

guntur, nempe ad validum consensum emittendum non requiri tantam maturitatem, quae solummodo in paucis contrahentibus inveniatur, maiore hominum parte a nubendo exclusa. Quoad incapacitatem assumendi obligationes matrimonii essentielles altera sententia edocet pathologicam propensionem ad ludos aleatorios (pathological gambling) includi inter causas naturae psychicae, ex quibus nupturientes sunt incapaces matrimonii contrahendi.

4. His animadversis, opportunum et utile duximus quaedam recolere de habitudine n. 2 ad n. 3 citati canonis. Hac in re, pluribus elucubrationibus doctrinalibus haud obstantibus, annis anteactis multae exstabant incertitudines, quae etiam in sententiis Nostri Fori inveniiebantur. Erat legere, «quod transitus a n. 2 ad n. 3 canonis 1095 et rationes distinctionis non sunt clarissimae, et etiam apud Nostram Iurisprudentiam osmosis aliquando habetur inter duas formalitates, quae ansam dant duplici capiti nullitatis» (coram Colagiovanni, decisio diei 20 martii 1991, n. 5: R.R.D. 83 [1994] 173). Et adhuc: «Haud tamen nos fallit, aliquando, speciatim in quibusdam Rotalibus decisionibus, distinctionem claram non fieri aut non proponi inter defectum discretionis iudicii et incapacitatem adsumendi essentielles matrimonii obligationes; quin immo nonnumquam duo nullitatis capita aperte inter se confunduntur» (coram Pompedda, decisio diei 19 octobris 1990, n. 5: R.R.D. 82 [1994] 687).

5. In limine affirmandum est incapacitates, quae in numeris 1 et 2 comprehenduntur, ab incapacitate, sub n. 3 recensita, distinguendas esse. Et distinctionis rationes praecipue hauriuntur:

a) *Ex itinere compositionis canonis*. Uti notum est, in prioribus schematibus caput incapacitatis assumendi onera matrimonialia consideratum fuit autonomum et

per se independens a capite defectus discretionis iudicii. Numeri 1 et 2 in can. 54 continebantur, dum n. 3 can. 55 occupabat.

b) *Ex verbis Relatoris*. Dicit is in relatione sua: «Dum in duobus prioribus ipse actus subiectivus sane psychologicus consensus defectu substantiali laborat, in ultimo casu a parte contrahentis actus ille forte integer elici potest, ipse tamen incapax est obiectum consensus implendi, inde incapax quoque est assumptam obligationem implendi...» (Communicationes 3 [1971] 77).

c) *Ex modo matrimonium invalidandi*. Etsi omnes tres hypotheses can. 1095 matrimonium invalident, et sub hoc respectu legitime in uno canone recenseantur, tamen modo omnino diverso matrimonium irritant. «Carentia sufficientis usus rationis» necnon «gravis defectus discretionis iudicii» directe attendunt ipsum actum psychologicum efformationis consensus matrimonialis, et ita secundum quantitatem inter se differunt. «Incapacitas assumendi», contra, consensum plene efformatum non tangit, sed contrahentis disponibilitatem circa obiectum consensus. Nemo est, quin intellegat differentiam exstare qualitativam n. 3 relate ad priores numeros.

d) *Ex dictione n. 2 can. 1095*. Ipse legis textus distinctionem insinuat, determinando defectum discretionis iudicii in relatione cum iuribus et officiis matrimonialibus essentialibus mutuo tradendis et acceptandis. Ad haec iura et officia contrahentis capacitas intellectiva-volitiva dimetienda est. Iura et officia matrimonialia constituunt matrimonium «in abstracto» et considerari debent tamquam mensura externa, quae non ingreditur in consensus constitutionem (cf. coram Pompèda, decisio diei 27 octobris 1992, n. 5: R.R.D. 84 [1995] 504).

e) *Ex textu n. 3 can. 1095*. Legis textus agit de obligationibus matrimonii essentialibus, quae «in con-

creto» a contrahente sunt implendae. Obligationes autem spectant ad ipsas personas, quae contrahunt. Hae personae capaces esse debent sive consensum matrimonialem integrum praestandi sive consensus praestiti obiectum se exhibendi. Incapacitas, de qua sermo est, non promanat ex eo, quod personae sunt causa efficiens consensus, sed ex eo, quod sunt eiusdem consensus causa materialis (can. 1057 §2). Si personae non sint subiecta «matrimoniabilia», id est capacia obligationes implendi, neque sunt subiecta capacia obligationes assumendi. Ex voce «assumere» sine ambiguitate patet agi de onerum assumptione in consensu, id est in matrimonio «in fieri», in quo autem «id adsit oportet, saltem in potentia, quod ad matrimonium in “facto esse” ducendum requiritur» (coram Bruno, decisio diei 17 iunii 1983, n. 3: R.R.D. 75 [1988] 359).

f) *Ex diversis incapacitatis causis*. Nullum dubium est, quin quaelibet incapacitas matrimonii contrahendi habeat suam causam, etsi haec tantummodo sub n. 3 canonis citati denuntietur. At haec causa diversa esse debet a causis usum rationis insufficientem et defectum discretionis iudicii respicientibus, «secus haud intelligeretur cur Legislatores distinctionem posuerit, saltem formaliter, inter tres factispecies» (coram Pompedda, decisio diei 19 octobris 1990, n. 4: R.R.D. 82 [1994] 687).

Hisce expositis, concludere possumus ex n. 3 can. 1095 matrimonii contrahendi incapaces esse eas personas, quae sufficienti usu rationis gaudent nec gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda laborant, at «ex causis naturae psychicae» incapaces sunt adimplendi obligationes matrimonii essentielles, inde quoque impares exstant ad huiusmodi obligationes assumendas.

6. Si ad Nostri Fori iurisprudentiam attendamus, asserendum est novissimas sententias post aliquam haesi-

tationem claram distinctionem facere inter n. 2 et n. 3 can. 1095 ita, ut duo capita inter se non confundantur (cf. coram Stankiewicz, decisio diei 20 aprilis 1989, n. 4: R.R.D. 81 [1994] 282; coram Faltin, decisio 26 maii 1989, n. 5: *ibid.* 81 [1994] 380; coram Funghini, decisio diei 26 iulii 1989, n. 2: *ibid.* 81 [1994] 536; coram Bruno, decisio diei 23 februarii 1990, n. 3-4: *ibid.* 82 [1994] 140; coram Serrano, decisio diei 1 iunii 1990, n. 4: *ibid.* 82 [1994] 448; coram Burke, decisio diei 22 iulii 1991, n. 2: *ibid.* 83 [1994] 501; coram De Lanversin, decisio diei 29 iulii 1991, n. 3: *ibid.* 83 [1994] 510; coram Giannecchini, decisio diei 4 octobris 1991, n. 2: *ibid.* 83 [1991] 518; coram Boccafola, decisio diei 28 februarii 1992, n. 8: *ibid.* 84 [1995] 127; coram Pompedda, decisio diei 4 maii 1992, n. 4: *ibid.* 84 [1995] 223).

3. In facto

7. Antequam accedamus ad capita accusata per analysim examinanda, liceat quaedam adnotare de modo procedendi in gradu appellationis, de viri personalitate deque eiusdem propensione ad ludos aleatorios.

8. Ratio, cur Tribunal secundi gradus primam decisionem reformaverit, invenitur in novo mulieris examine.

Sane de credibilitate actricis testiumque ab ea inductorum non est ambigendum, sicut ipse Iudex instructor post uniuscuiusque depositionem attestatur. Mulieris fides praeterea probatur ex eo, quod ipsa constans fuit et firmiter sibi cohaerens in primo atque in altero vadimonio, in quo vim suarum asseverationum de viri condicione psychica relate ad tempus celebrationis nuptiarum non auxit, quamvis iam sententiam negativam prae manibus habuisset. Ex ultima actricis

interrogatione appellati Iudices colligunt argumenta tam pro defectu discretionis iudicii in viro quam pro eiusdem viri incapacitate assumendi essentialia matrimonii onera. Affirmari autem licet ius, quo utimur, maiorem vim probandi attribuire partium declarationibus, a Iudice aestimandam una cum ceteris causis adiunctis, ipsis tamen non tribuere unquam vim plenae probationis.

9. Quidquid sit de distinctione inter varias incapacitates, semper verum manet incapacitatis causam inveniri in contrahentis persona. Quam ob rem imprimis videndum est de viri indole. Conventus in tabulis processualibus depingitur veluti «a very easy-going person», «a very well-liked person», «a quiet person», «always very truthful», «very good», «not aggressive», «a bit of a loner», «very easy to live with», «very retiring kind of person», «inclined to be a home bird», «very calm and laid back kind of character», «a very sober happy fellow», «neither a drinker nor a womaniser», «he wasn't one for dancing or the like, so mostly we just sat in the house».

Ex hisce testimoniis non apparet in convento fuisse perturbatos psychicos processus vel cognoscitivo-aestimativum vel volitivo-executivum. Nec ex assertis concludi potest ad viri incapacitatem assumendi onera matrimonialia, quia nulla indicia perturbationis personalitatis denuntiantur.

10. Ex actis luculenter constat virum iam ante nuptias ludis aleatoriis vacasse. Ipse tamen sincero animo promisit se bene gesturum esse.

Actrix in libello litis introductorio admittit se aleae exercitium ex parte viri novisse: «During our courtship — ait ipsa — I became aware of his gambling and I made Mario promise me he would give the gambling up» (Summ., 2). Quod mulier coram Iudice iterat: «I

got him to promise me that he'd give up the gambling» (Summ., 6/6g).

Iuxta tres testes viri inclinatio ad aleae exercitium iam tempore antenuptiali dissensiones inter sponsos excitavit (Summ., 14, 6c; 22, 6g; 31, 6g). Ultimus autem testis, dum asserit: «She knew about his gambling», tamen refert: «I am not aware of any serious arguments about the matter» (Summ., 36, 6g).

Ad propensionis gravitatem quod attinet, mulier sincere deponit se ratam esse «that I could change him» (Summ., 7). Et in altero interrogatorio fatetur se fuisse «very happy», quamvis de viri vitiositate certior facta. Ac exponit: «I didn't see his gambling as a problem then... I thought his gambling was a harmless sort of a hobby»; exinde: «It never occurred to me it could have been a compulsive addiction» (Summ., II, 8/8).

Quae omnia patefaciunt viri propensionem ad ludos aleatorios tempore nuptiarum non fuisse adeo «deeply rooted in his personality» (Summ., II, 29/20), ut potentiam eligendi inter plura adimeret et subiectum incapax redderet assumendi onera coniugalia.

3.1 *De defectu discretionis iudicii in viro*

11. Caput defectus discretionis iudicii in viro per primae instantiae sententiam negative dimissum, per secundae instantiae sententiam sic censetur probari:

a) Eo, quod vir conventus tum ante nuptias tum post nuptias contractas propensione ad ludos aleatorios fuit affectus adeo, ut propensio videretur «to have been a deep rooted compulsive addiction» (Summ., II, 31/25).

Ad rem bene adnotat vinculi Defensor: «Nullis documentis psychiatricis vel medicis suffulti gravitatem perturbationis dignoscere asserunt Iudices» (Animadversiones, 12).

Eis obiciendum est viri vitiositatem tempore antenuptiali ab actrice consideratam fuisse tamquam «a sort of harmless hobby», quod consuetudinem sponsaliciam non graviter perturbaverat. Ad tempus autem postmatrimoniale quod spectat, in memoriam revocare licet convictum iugalem primis annis felicem fuisse et deinde ob viri instabilitatem et liberam volitionem in peius vertisse, ipsa actrice fatente: «Just over the years it got worse — from gambling on the weekend (“a wee flutter”) ... to gambling every day» (Summ., II, 8/6).

Concordat viri soror: «Problems seemed to creep in gradually... The marriage relationship deteriorated as the gambling problem increased» (Summ., 24/11c).

Nullibi tamen probatur conventi facultates intellectivo-volitivas adeo perturbatas fuisse, ut ille in nubendo iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda plane intellegere et libere suscipere non valeret.

Hae conclusiones non contradicuntur ex actricis dictis: «He couldn't pass a betting shop or gaming machines, or dogs or cards or anything. If there was a card game going on, he'd have to be stuck in it» (Summ., 7). Scitur enim libertatem optime stare posse cum impulsione, quae promanant ex indole, ex acta vita, ex circumstantiis existentialibus, ex habitu necnon ex conceptibus moralibus. Libertas tantum aufertur, si voluntas impulsione resistere non possit, quia ad unum determinatur. At ex actis abunde constat determinationes voluntatis conventi, quae electiones dicuntur, liberas fuisse ab intrinseca determinatione ad unum.

Ut ex dictis patet, de «pathological gambling» sermo esse nequit. Pathologia enim oritur ex necessitate sic et non aliter operandi.

b) Iuxta appellatos Iudices «the Respondent himself never saw his gambling as a problem. Anyway he was a “happy go lucky” individual who was very

agreeable and nothing ever seemed to bother him» (Summ., II, 29/18).

Nullum argumentum pro defectu discretionis iudicii descendit ex eo, quod conventus ante nuptias suam vitiositatem eiusque influxum in vitam conjugalem non ponderaverit. Praetermisso, quod nedum actrix, sed etiam testes praematrimoniales actoris defectum levem diiudicaverunt, firmiter tenendum est discretionem iudicii dimetiendam esse ad iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda. Ad capacitatem contrahendi non requiritur, ut nupturiens rectum iudicium circa propriam personam ferre et omnes sequelas sociales, ethicis, iuridicas ex contractu matrimoniali obvenientes necessario perpendere debeat.

c) Affirmativa decisio argumentum depromit ex actricis iudicio «he was like a big kid, he never really grew up» (Summ., II, 29/21).

Nemo dubitat immaturitatem psycho-affectivam certis in casibus praepedire posse, quominus voluntas libere se determinet ad consensum. Ita est, si adsit fixatio in aetate iuvenili vel regressus ad modum agendi adolescentium.

Certo certius, ex actis apparent haud pauca signa immaturitatis in convento. Attamen non emergit in illo graviter perturbatum fuisse processum electionis. Vir enim gavisus est libertate indifferentiae, quia indifferens fuit ad opposita, ad matrimonium contrahendum vel minus. Praeditus fuit libertate decisionis, quia ex pluribus puellis post deliberationem pro sua sententia et arbitrio potuit actricem in compartem eligere vel aliam puellam.

Hisce omnibus perspectis atque cribratis, censuerunt Patres Auditores de Turno caput defectus discretionis iudicii, ex parte viri conventi, esse reiiciendum.

3.2 *De viri incapacitate assumendi obligationes matrimonii essentielles*

12. In causa absens est conventus. Quam ob rem de eius incapacitate assumendi obligationes matrimonii essentielles tantummodo ex depositionibus actricis necnon testium ab eadem inductorum definiri potest.

Diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur, ubi commoretur vir. Non ergo mirum, si deficiat quaecumque inquisitio medicalis. Peritia, si quae super actis confecta fuisset, nullum iudicium certum promere potuisset, cum testes praeter propensionem ad ludos aleatorios nihil abnorme in viro unquam adnotarent.

13. Actrix, ad sustinendum caput accusatum, multa in iudicio enarrat de viri ratione agendi ante et post matrimonii celebrationem.

Etenim, asseverationibus mulieris innixus, eius Patronus ex officio concludit «vitam psychicam ac personalitatem conventi ante nuptias et perdurante coniugio supra modum perturbatam fuisse: ipse in omnibus inconstans, impar ad nectendas veras ac duraturas relationes interpersonales, ineptus ad suas naturales incitationes coercendas (cf. "gambling"), certo idoneus non erat ad duraturam et peculiarem communionem vitae matrimonialis suscipiendam» (Restrictus, 19).

Hae conclusiones in actis nullam confirmationem inveniunt.

Patres in tabulis processualibus nulla signa perturbatae personalitatis detegunt. Vir neque infans neque adulescens aliquibus abnormitatibus psychicis laboravit. Rogata de «special incidents from his youth», actrix sine negotio respondit: «I don't know of any incidents» (Summ., 4/3). Conventus, haud obstante patris alcoholismo, in familia normali crevit, eius sorore pro-

fitente: «We had a happy home» (Summ., 22/5c), quod probe ab olim vicino firmatur (Summ., 36/5c). Parentes filium adiuverunt ad dotes físicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ad gradatim acquirendam perfectionem maturitatem. Quo factum est, ut ille «mature enough for marriage» esset, ut ab omnibus testibus adducitur (Summ., 17/9b; 24/9b; 25/13b; 31/9b; 33/13b; 38/9b; 39/13b).

Etiam incapacitas instaurandi relationes interpersonales non patet. E contrario, actrix sine ambagibus patefacit: «He was very good to me» (Summ., 3/2d). Adhuc: «We always got on well together» (Summ., 6/6b). Demum: «I think he did care about me» (Summ., 8/7b).

Testes nihil aliud proferunt. Dum actricis mater conventique soror reddunt: «They seemed to be suited for each other» (Summ., 16/6b; 22,6b), actricis frater memorat: «Very well they seemed very suited to each other» (Summ., 29/6). Vicinus quoque testificatur: «Got on very well, a grand couple» (Summ., 36/6b).

Quaestioni a Iudice propositae: «Do you think he put his heart into the marriage», testes uno ore respondent: «Yes» (Summ., 19/14a; 25/14a; 33/14a; 39/14a).

Ad propensionem ad ludos aleatorios quod attinet, memoria repetendum est mulierem ante nuptias viri inclinationem tamquam «harmless hobby» considerasse. Atque illa vitiositatem intra limites ponit, cum asserit: «If we ever went out on a Saturday, he'd be stuck in a betting shop», additque: «Even at weekend we didn't go out much» (Summ., 6/6a). Aleae exercitium ex parte viri tempore antenuptiali amicalem conversationem inter partes minime conturbasse ab ipsa actrice scimus, aiente: «We got on alright» (Summ., 6/6f).

Uti superius enucleavimus, conventus tempore matrimonii impulsibus ad aleae exercitium resistere

potuit, cum in eo nulla condicio pathologica dignosceretur.

14. Capacitas viri assumendi obligationes matrimonii essentielles potius ostenditur quam verbis, si ad plura facta iuridice probata attentionem convertamus.

Certo certius vir ad conubium accessit adhuc in iuvenili aetate; sed tunc temporis alterum et vicesimum annum iam expleverat. Hac aetate perspecta, capacitas matrimonii contrahendi praesumitur, quia vir exsuperavit aetatem legalem ultra 6 annos.

Inter partes existebat amor ardentissimus. Ipsa actrix revelat: «I had so much loved him, that I couldn't see myself with anybody else» (Summ., 8/7d).

Ceterum, neque actrix (Summ., 8/9c) neque testes ob viri agendi rationem tempore matrimonii ruinam conubii praevidebant (Summ., 17/10c; 24/10c; 31/10c; 38/10c).

Nuptiarum celebratio iuxta actricem «went alright» (Summ., 9/10a).

Matrimonium est consummatum. Etenim nulla difficultas adducitur, quod attinet ad intimam relationem sexualem: ceterum partes generaverunt tres filios et locum habuerunt totidem abortiones.

Convictus coniugalis per aliquos annos sat bene processit, mutuo amore atque aestimatione, ambo officiis in familia satisfecerunt. Utcumque haud constat, saltem quod spectat ad essentialia, virum inde ab exordiis vitae communis neglexisse curam uxoris, filiorum et domus. Asserta a muliere pigritia viri difficulter componitur cum ipsius mulieris affirmatione: «My father got a job for Mario in T., in the tunnels, and they used to travel every day to work» (Summ., 6/6e).

Ex actis elucet inclinationem conventi ad ludos aleatorios, initis nuptiis, increvisse. Dum actrix ait «things were going out of hand» post nativitatem primi

filii, mense februario 1977 secutam, eius mater et frater virique soror censent conventum vivendi rationem post sex annos, id est anno 1981, immutasse (Summ., 9/10c; 18/11c; 24/11d; 31/11c).

Et aperte concedit mulier: «I didn't know the extent of his gambling until after he was gone» (Summ., II, 8/9).

Denique tandem vir suam condicionem oeconomiam peiorem effecit. Debita, quae contraxerat, solvere non potuit. Ad effugiendos creditores, deinde decisionem tulit sese in Z. conferre, ubi opus faciendum reperire cupivit. Videtur maritus mense aprili 1983 cum uxoris consensu habitationem deseruisse, nam «Mario waited until the baby was born» (Summ., 10/10). Sane negari nequit, quin filios educandos matri reliquerit pater nec ullam notitiam familiaribus dederit.

Constat igitur vitam communem normaliter per annos ductam esse et naufragium pluribus annis post matrimonii celebrationem ob causas subsequentes evenisse.

Quae omnia concludunt pro infausto coniugii exitu ex levitate mariti, minime ex «pathological gambling»: quae propensio iuxta testium opinionem sanari potuit. At vir conventus ante nuptias et toto decursu vitae coniugalis numquam subiectus fuit sive curationibus sive inspectionibus psychiatricis psychologicisque.

Verum si conventus, ut asseritur, incapax fuit assumendi et adimplendi obligationes matrimonii essentialles, quomodo potuit uxor per quinque annos exoptare, ut ille domum rediret? Iterum, cur mulier precibus Deum omnipotentem ferventer imploravit, ut vita coniugalis familiarisque restitueretur, si vir tam negligens in uxorem prolemque fuit?

Hisce omnibus etiam cumulatim perpensis, patet quam longe distent argumenta valida, ex quibus dedu-

citur incapacitas viri conventi assumendi obligationes matrimonii essentielles. Eapropter, cum neque mulier actrix neque testes, ab eadem inducti, suppeditare valuerint probationes assertae incapacitatis, infrascripti Patres de Turno statuerunt et huiusmodi nullitatis caput esse reiciendum.

15. Appellati Iudices nullitatem matrimonii declaraverunt cum ex gravi defectu discretionis iudicii ex parte viri tum ex eiusdem viri incapacitate assumendi obligationes matrimonii essentielles.

Idem arguere potuerunt eum, qui gravi defectu discretionis iudicii laborat, consequenter, etiam inparem esse onerum matrimonialium assumptioni.

At Iudices adducunt pro utroque capite eandem causam naturae psychicae.

Ut superius exposuimus, omnis incapacitas habet suam causam, etsi haec tantummodo pro incapacitate assumendi obligationes matrimonii essentielles significetur. At haec causa diversa esse debet a causa defectum discretionis iudicii respiciente. Nam eadem causa non potest exstare pro defectu substantiali consensus et pro consensu integro, sed inefficaci matrimonium faciendi.

16. Quibus omnibus, tam in iure quam in facto rite expositis ac mature perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive pronuntiamus dubio proposito respondentes:

NEGATIVE, SEU

NON CONSTARE DE MATRIMONII NULLITATE,
IN CASU, ULLO EX CAPITULO ADDUCTO.

Ita pronuntiamus atque committimus locorum Ordinariis et Tribunalium ministris, ad quos spectat, ut

hanc Nostram definitivam sententiam notificent omnibus, quibus de iure, atque executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in Sede Romanae Rotae Tribunalis, 1996.

IOSEPH HUBER, Ponens
FRANCISCUS LÓPEZ-ILLANA
IOANNES BAPTISTA DEFILIPPI